

1572

reditum in Hellespontum permettere, quorum classis oppleta fūneribus, commeatu egens, paucis triremibus exceptis, vel noctis, vel maritimarum tempestatum opportunitate, Uluzzalio duce, quem iidem Turcæ odissent, fugam capturis, citra pugnam dissipari, atque opprimenti posset? Verum licet Austriae ingens gloriae cupido accenderet animum; attamen quo minus expedite in publicum bonum incumberet, ab iis, quos sibi Philippus præconsultores dederat, detinebatur. Ac dum frustra commeatus absuntur, tempusque teritur, Græciæ Beglerbegus cum copiis appropinquabat: jamque complures e Sophia equites haud longius quam mille ac quingentos passus a litoribus castra locaverant, quotidieque usque ad amnem, ex quo a nostris aqua hauriebatur, procursabant. Duodecim peditum millia in tria distincta agmina iis objecta sunt. Italis, qui Regi militabant, Paulus Jordanus Ursinus, Hispanis Franciscus Landrianus, Venetis Paulus Ursinus præerant, qui Moreto Calabro ad tumulum oppido propinquum capiendum militum manum attribuit. Verum Turcæ micantium undique in planicie ac collibus armorum fulgor, nuperque a Marco Antonio Columna, & Paulo Jordano Ursino illata clade perterriti, propius pedem inferre non ausi sunt.

Sed Beglerbegi copiarum in dies nova accessione, de Methone expugnanda, deque invadenda classe nostrorum irritis consiliis, cuncta ad Navarinum oppugnandum versa sunt, quo opportuno, eodemque amplissimo portu media in Peloponneso potirentur. Impositum est *Navarinum* (priscis Pylum) præcelso ac prærupto jugo. Qua in orientem solem vergit, recto clivo collis in litus desiliens, in arctum isthnum desinit; qua occidentem respicit, mille ferme passus leniter declinans, ad angustum euripum pertinet, qui illum ab scopulo in austrum acute prominente e regione continentis disternat, minoremque scopulum oppositum, eidem continenti obiectum habet, ex quibus portus fauces constant. Ab isthmo binæ panduntur semitæ, quæ oppidum veluti brachia circumplexæ, ad occidentalem portam media moenium parte in turris latere sitiæ junguntur. Dextera ab isthmo ad oppidum via patet; læva ab isthmo non modo, verum etiam e portus litore, quod ab imbre vicinis e montibus humum ac lapides aggerante,

*Navarinum
expugnatio
decreta, &
ejus statu.*

æstu